



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Disputatio LXXIV. Vtrùm in Christo sint duæ voluntates? S. Thom. q. 18.  
art. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.  
q. 18. a. 1.

forma; secundam ex essentia & existentia; tertiam ex natura & supposito; sed tantum ex esse, & quod est. Hoc autem esse à Ferrara in cap. 52. sub initium appellatur suppositum, ijs verbis: *In substantiis intellectualibus non est idem esse, & quod est, id est, suppositum: nam suppositum est id, quod est.*

§. 13. Constituta igitur eà acceptione Thomistica, facile probo à B. Thoma negari humanitati proprium esse personale creatum; non verò esse existentiae. Primum, quia ea est apud Thomam significatio esse in substantiis completis. Secundò, quòd si essent duo esse, essent duae personae: quia in vna persona non possunt esse duo esse: quia si essent duae personalitates, essent duae personae iuxta errorem Nestorij. Hæc autem sunt verba: *Sed illud esse, quod pertinet ad hypostasin vel personam secundum se, impossibile est multiplicari in vna hypostasi vel persona: quia impossibile est, quòd vnus rei non sit vnum esse.* Nec verò opus est nisi legere hæc verba: *Sic igitur cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostaticè vel personaliter, at non accidentaliter; consequens est, quòd secundum humanam naturam non adueniat sibi nouum esse personale: at esse existentiae non est esse personale; nec ex eius multiplicitate multiplicatur persona magis quàm ex multitudine naturarum.* Auctores

nostræ sententiæ mirantur oppositos, quòd existiment multiplicari personas ex multiplicatione existentiarum.

§. 14. Ad primum autem, probat, vnitatem personæ magis ex vnitare hypostasis, quàm pluralitatè ex dualitate naturarum. Ad tertium, docet fore in Deo tria esse, si esset natura distincta ab hypostasi: at non esse nisi vnum: loquitur de esse existentie realiter, nò ratione nostra, quòd vnum est à natura in vnaquaque persona: idem que in tribus; quia natura est vna. si autem esset triplex natura, esset etiam triplex existentia absoluta: est autem vna: cur autem, vt volunt Thomistæ, ageret de esse ratione nostra distincto? cum argumentum sit de distinctione & vnitare reali, igitur esse naturæ habitum est vnum in tribus personis; quia est natura vna: quòd si natura esset triplex, triplex etiam esset esse habitum. Vnde colliges in Christo nunc esse duplex esse naturæ; alterum diuinum còmune tribus personis, in illis omnibus vnum numero propter vnitatem numericam naturæ: alterum humanum in sola persona Verbi, igitur ex B. Thoma tot sunt esse habitata naturarum, quot naturæ: & quia naturæ sunt duæ, duo etiam sunt illarum esse; alterum identificatum nunc cum hypostasi; alterum vnitum.

## DISPUTATIO LXXIV.

### Vtrum in Christo sint duae voluntates?

S. Thom. quest. 18. art. 1.

§. 1.



Onclusio affirmatiua de fide in VI. Synodo generali. Refert S. Thomas varios errores hæreticorum circa Christi voluntatem. Præcipui sunt Apollinatis, qui asseruit Verbū non assumpsisse animam, sed ipsum extitisse in corpore Christi loco animæ. deinde asserit assumpsisse animam, sed non mentem. Huius hæretici errorem explicui esse damnatū à Patribus & Ecclesia disp. 45. Præterea Macar. Alexand. & Sergius Patriarch. Constantinop. directè negarunt in Christo voluntatem humanā: quapropter vocantur Monothelitæ, scilicet vnus volūtatis. Hos damnauit VI. Synodus, multiq̄e Catholici Episcopi, & B. Martinus Papa mortem obierunt: quia hunc errorem condemnarunt, Sergium ex Ecclesijs eicientes. Damnationē etiam huius erroris retuli ea disp. 45. Fundamenta hæreticorum sunt sine fundamento: opinabantur enim voluntatem humanam fore rebellem contra diuinam, cuius oppositum monstratum est disp. 62. à §. 19. De errore Monothelitarum, vtrum in eo fuerit Honorius? latissimè disserui vol. 2. disp. 21. à §. 253. ad 264.

§. 2. In Christo fuisse voluntatem humanam, expressum est Litteris sacris, cum Paulus ait Christum fuisse obedientem: nam obedire est inferiorem voluntatem exequi præceptum superioris: at Christus voluntate diuina nec potest esse inferior Patre, neque habere præceptum: cum enim sit eademmet voluntas diuina in Patre & Filio, quidquid præcipitur, præcipitur ab vtroque: sibi autem nemo potest præcipere, nec obedire in vna eadem-

que voluntate, sed in diuersis, item cum Christus Patrem oraret, vt ab eo transfret calix passionis, & adiecit: *Non mea, sed tua voluntas fiat*; aperte monstrauit duas voluntates: nam est vna voluntas Patris, quam Christus volebat impleri, quæ est & ipsi communis: est item alia voluntas peculiaris Christo, quam ipse nolebat impleri, nisi esset diuinæ conformis. Hæc autem voluntas propria erat humana: nam Deus non habet nisi vnam, nec Christus habebat aliam, nisi ab humanitate. Disp. autem 75. ea de re constabit aperte. P. Salmer. to. 10. tract. 12. vers. *Pro cuius*, ait ex eo testimonio non colligi duas in Christo voluntates, quòd accipe de collectione immediata: colliguntur quidè duæ; altera humana Christi, *non mea*, &c. altera diuina, *sed tua*: eas autem esse vnitas in Christo, non colligitur inde immediatè: quia etiam purus homo ita posset orare: colligitur humana Christi; vt collecta est in VI. Synodo, & ab Agathone, quam negabant Monothelitæ; diuinam autè fatebantur, cum autem constet, diuinam naturam esse in Christo, inde colligitur & eam diuinam voluntatem esse in Christo. Secundò patet ex fine Incarnationis: Christus enim per merita nos redemit: nullum autem potest esse meritum in Christo per voluntatem diuinam; sed per creatam exercentem actus bonos. Neque opus est in re tam clara amplius immorari. quid enim differet humanitas à trunco, si absque mente & voluntate esset assumpta? Recognosce P. Suarez & Vasqu. disp. 73. c. 1.

§. 3. In Christo fuisse voluntatem sentientem dolores, est eadem ratione certum; item appetitum

rum sentientem, duas item voluntates acceptas pro actibus: quia utraque voluntas suos exercuit. item Christus voluit media & finem voluntate in-creata, & creata: at voluntas creata accepta pro

potentia, non fuit nisi vna: quia in homine non s. Thom. sunt plures. De appetituum pluralitate iam egi vo. q. 18. a. 6. lum. i. disp. 17. de Anima.

## DISPUTATIO LXXV.

### De actibus, & contrarietate voluntatis Christi.

S. Thom. q. 18. art. 6.

SECTIO I. *Vtrum Christus habuerit aliquos actus, per quos adhiberet media ad consequendum obiectum, quod sciebat non esse futurum?*

SECTIO II. *De voluntate latendi, & salutis reproborum.*

SECTIO III. *De voluntate fugiendi mortem.*

SUBSECTIO I. *Vtrum Christus fugerit affectu substantialiam mortis?*

SUBSECTIO II. *Vtrum illa fuga mortis fuerit effi-*

*cax, an simplex?*

SUBSECTIO III. *Quid alij respondeant ad opposita argumenta?*

SUBSECTIO IV. *Praemonitiones ad responsa.*

SUBSECTIO V. *Ad argumenta.*

SUBSECTIO VI. *Difficultates.*

SECTIO IV. *Duo corollaria.*

SECTIO V. *Vtrum voluntas humana Christi fuerit semper impleta?*

§. 1. **A**M ostendi, in Christo esse duas voluntates: item probavi in eo fuisse admirationem, dolorem, timorem, tristitiam, &c. De dono timoris egi disp. 68. In eo fuisse actus efficaces, fides docet: nam & motus, & sermo, merita, & alia eiusmodi, sine actibus voluntatis humanae efficacibus non contingere. Praestd est ratio: quia isti actus possunt esse honestissimi, neque Christo defuerunt, nisi qui pugnant cum munere perfecti redemptoris, & visione beata: actus enim efficaces, scilicet qui simpliciter tantum tendunt in obiectum, nullo adhibito medio ad illud assequendum, vel fugiendum, in eius voluntate fuisse est certum: quia habuit voluntatem circa multos dolores, quos numquam vitare voluit; quos simplici refugit affectu.

### SECTIO I.

*Vtrum Christus habuerit aliquos actus, per quos adhiberet media ad consequendum obiectum, quod sciebat non esse futurum?*

§. 2. **V**iderur fide certa pars affirmatiua. Marci 7. vbi asseritur Christum latere voluisse, & non potuisse. Quod testimonium adducit Agatho Papa, eoque vtitur VI. Synodus act. 4. ad probandum in Christo fuisse voluntatem humanam, quae non potuit ab eodem Christo impleri. De quo testimonio actum est vol. 2. disp. 119. §. 24. & hac disputatione agendum a §. 3. ad 16. & 58. Christum autem verè voluisse latere, constat ex verbis ipsius: nam constat ex Agathone, & ex ipso contextu aliquid voluisse, quod nequaquam affectus est, neque potuit: hoc autem nihil fuit praeter occultationem aduentus, qui è vestigio fuit euulgatus: media autem fuerunt se occultare: nullum enim erat medium accommodari. Constat eadem doctrina ex oratione Christi in orto in agone constituti: voluit enim fugere mortem, ad quod adhibuit prudentissimum & honestissimum medium, quod erat oratio: voluntas enim illa Christi non solum fuit simplex displicentia mortis; sed etiam voluntas efficax eam vitandi, quantum in se erat, vt dicam §. 29. nam aliquid dicimur efficaciter velle, quando adhibemus

*Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

media, quae sunt in nostra potestate: nec enim opus est, vt res succedat; sed sufficit, si faciamus quod in nostra est potestate: Christus autem fecit quod erat in sua, nempe orare Deum, vt ab eo mortem auerteret: Christum autem verè cognouisse se non effugiturum mortem, nec eius aduentum occultandum, patet ex disp. 54. Vbi probavi à Christo nihil ignorari rerum existentium, & ad eius statum pertinentium, maxime mortem, quam ipse sponderat, & Pater acceptauerat pro salute hominum. nec de hac re licet dubitare. Vnde constat Christum aliquid voluisse, & adhibuisse media scientem rem non esse futuram. Voluntatem latendi non est dubium fuisse in Christo: ait enim Pontifex eum voluisse, quod non potuit assequi: vnde voluntatem humanam confirmat: nec est dubium eum refugisse aut mortem secundum substantiam, aut secundum accidentia nonnulla. Vtrum autem ille affectus fuerit simplex displicentia, aut desiderium, infra disquiram eo §. 29. voluit item salutem reproborum, quam non obtinuit.

### SECTIO II.

*De voluntate latendi, & salutis reproborum.*

§. 3. **H**aec tamen quantumcumque certa, plena sunt difficultatibus. Ac Primùm, voluntas de reproborum salute, & occultatione sui ad-

X x 2 uentus,